



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem Varia Ervditione Noviter evoluta

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

1. Iuvenculi lascivi Satyris comparantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

In hac silvestrium deorum turba *Pan* facilè primas obtinet: nam & nomen habet ab *omni*, quasi omnia valens. Is est inventor fistulæ sepremplicis, de quo Maro eclog. 2.

Pan primus calamos cerâ conjungere plures
Instituit: Pan curat oves, oviùmque magistros.

Ejus uxor est *Pales*, dea pabuli, sicut maritus deus pastorum: illius festa *Palilia*, seu *Parilia* appellata, quia pro partu & salute pecorum ei sacrificabatur. Gestabat autem Pan altera manu fistulam, alterâ baculum incurvum. Nam pastoris est, non tantùm ovium, sed etiam populi:

Et cantu mulcere greges, & pellere virga.

Severitas miscenda est clementiæ. Rectè verò pro uxore deam pabuli habet Pan. Neque enim officium suum facit Pastor, si plenam ipse sedeat ad mensam, & vacua gregibus præsepia linquat. Oves tondendæ sunt, sed saturæ, non macie confectæ.

Ethica.

I. (a) De Bacchi comitibus Satyris meminimus in navi ejusdem Bacchi; hinc adjungimus. Vitia ebrietatis ac impuræ libidinis sociata sunt; id quod Bacchus, & ejus stipatores, silvestres isti deastri, cornigeri, & capripedes significant. Silenus enim, præcipuus illorum, asello vectus, & malè hærens in illo, quid aliud indicat, quàm hominem poculis exhauriendis deditum, esse inertem, stupidum, nihil molientem homine dignum, asino simillimum? Et petulei Satyri, quid aliud referunt, quàm juvenculos leves, petulantes, visæque mulierum formæ adhinnientes? caprarum inter ac hædorum per Veneris præta lascivientes ac luxuriantes? Monstra sunt hi Satyrica, diversis è bestiis, hoc est, libidinibus composita, angulos sectantur, & specus obscuros, & frondosas umbras; ut tantò sit impudentior lascivia, quantò est occultior.

II. (b) Satyrum graphicè depingit, & ad mores traducit eloquens scriptor in hunc modum. Prometheus cum ignem cœlesti è regione primò detulisset, obvium habuit è lustris prodeuntem Satyriscum (hoc est, parvum Satyrum) hirsutum illum, capripedem, & loco circinorum, cornua de fronte retorquentem, ut summa pariter & ima parte caper esset, aut hircus. Hanc tam elegantem faciem, in modum silvæ barba hispida, incompta, quaquà rigida, & longissimè excurrrens cingebat.

(a) Juvenulus lascivi Satyri comparatur. (b) Petulcius Satyrorum calor.